



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 131. Hispaniæ Regis responsum ad Legatos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



tium frequentia auctoritatem conciliaret; **Sæcul. XVI.**  
 hanc in rem Legatis datum est negotium, **A.C. 1510.**  
 ut Regi insinuarent, Gallis, Germanis,  
 atque Hispanis in unum coeuntibus, nil  
 certius esse, quam Julium Pontificatu deji-  
 ciendum, in id quoque magnam Italiæ par-  
 tem absque controversia conspirare, eo-  
 quod complures Julii arrogantiam, atque  
 vexationes permoleste ferrent; reliquam  
 Christianæ Reipublicæ partem plurimo-  
 rum judicium haud cunctanter secuturam,  
 proin Synodum optatum sortituram suc-  
 cessum, si vero Hispani Pontifici faverent,  
 eumque tueri niterentur, vel neutrius par-  
 tis studio adhærerent, eos abs dubio e-  
 jusmodi Schismati ansam duros, quod  
 Ecclesiæ exitiosum non modo Hispaniam,  
 sed cetera quoque Christiani Orbis regna  
 indubitanter gravissimis turbis involve-  
 ret.

## §. CXXXI.

*Hispaniæ Regis responsum ad  
Legatos.*

Ergo Legati his verbis instructi, Bur-  
 gis adveniunt, ac Ferdinando Regi,  
 qui tum ibi agebat, Principum suorum  
 mandata exponunt. His respondit Rex  
 Catholicus: Non equidem Ciamontio de-  
 est specietenus vera de Legato meo que-

M 4

rendi



Sæcul. XVI. A.C. 1510  
 rendi caussa : ast re ipsa hujus Marescalli  
 vitæ, Regisque Christianissimi honori con-  
 sultum volui; de cetero copiæ meæ non-  
 nisi ad trimestre in Continentis ditionibus  
 Venetis stipendia mereri, annuente  
 ipso Cæsare obstringebantur, eas vero e-  
 lapso duntaxat hoc termino revocavi,  
 diutius illas eadem castra sequi concessu-  
 rus, nisi Turcarum classe jam Hydruntum  
 versus appropinquante, Neapolis Regnum  
 inopino discrimini expositum fuisset: his  
 addebat insuper: Ego quidem a Camera-  
 censi foedere nullatenus recessi, satis enim  
 persuasum habeo, quod foederatorum o-  
 pera Neapolitani Regni urbes, quibus du-  
 dum exutus eram, recuperaverim, in-  
 terim vero haud ultra me expensas suppe-  
 ditaturum spondere valeo; vix enim Nea-  
 polis ac Siciliae proventus legitimis æque,  
 ac necessariis dicti foederis sumptibus suf-  
 ficiunt, de Concilio autem, inquiebat  
 Rex, quod illud optatum nancisci possit  
 successum, Hispaniæ Præsulibus persua-  
 deri oportet, ego autem nihil boni inde  
 augurari valeo, cunctis enim comperta  
 sunt dissidia Cardinalis S. Petri ad vincu-  
 la cum Ambasiano, eadem quoque us-  
 que ad Galliarum Regem pervenerunt,  
 atque unica mali caussa existunt, dein et-  
 si fit, ut Gallia, Germania, aliique Prin-  
 cipatus Synodum expetant, imo & ipsa  
 Hispa-



Hispania fors accedat, si vero Anglia, Hi-  
 bernia, Scotia, Hungaria, Bohemia, Po-  
 lonia, Suecia, Dania, Norvegia, atque  
 Helvetia ejusmodi Concilium detestentur,  
 nonne exinde Ecclesia ingenti schismate  
 scindetur? Ut vero paucis absolvam, cum  
 foederatis meis in novam, eamque arctio-  
 rem societatem coire non possum; Reli-  
 gionem enim Christianam, ut in Africam  
 revocarem, grave bellum gessi, milite,  
 auroque exhaustus.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1510

§. CXXXII.

*Bugia a Petro Navarra expugnata.*

Legatis Ferdinandi responsum Cæsari  
 atque Regi referentibus, hoc in ne-  
 gotio haud ultra quicquam movebatur;  
 nec tamen propterea Hispaniæ Regis ar-  
 ma conquievit, Petro enim Navarrae  
 Comiti negotium dedit, ut tredecim na-  
 ves tam bellico apparatu, quam annona  
 optime instructas, quæ in portu Marsal-  
 quivirano hærebant, in altum protrude-  
 ret, Bugiam occupaturus, quæ est Afri-  
 cana Tunetani Regni Provincia in Barba-  
 ria sita, ubi ejusdem nominis urbs erat,  
 quadam Maurorum Universitate celebris.  
 Hanc civitatem Abufferizus ad Regni fa-  
 stigium erectam a Tunetano Imperio se-  
 junxit,

*Marian. lib.*  
 29. n. 93.  
*Kaynald. ad*  
 ann. 1510.  
 n. 26. Et 30.  
*Gomes. de re-*  
 bus gest. Car.  
*Ximen. lib. 4.*